



2043016

*Corpus incorruptum Martyris Andreae Bobola Soc. J.  
1657. defuncti requiescit in Ecclesia Cathedrali Pincensivi.*

Gloria Patri, et Filio,  
et Spiritui Sancto.

Virgo MARIA mater  
DEI ora pro nobis.

ILHS

Nomini Tuo O JESU da Gloriam.



O Apostole Pincensis, clarens  
Miraculis! ora Deum, Bobola,  
Pestilens morbus plurimos necans.  
RYA.†. ad Majorem Dei gloriam.

PAPA PIUS SEXTUS, Pastor pius Urbis et Orbis;  
Orbis erit felix, si pius Orbis erit.



---

EPICUM CARMEN  
DE MARTYRE  
ANDREA BOBOLA

PRESBYTERO SOCIETATIS JESU

---

LIBER I.

---

II<sup>†</sup>-IS

**A** PATRE procedens & NATO SPIRITUS alme  
Illustrare veni mentem celebrare volentis,  
Quas probus Andreas subiit pro Numine curas,  
Quantaque pro JESU passus tormenta libenter.  
Tu quoque Sancta DEI Mater succurrere gaude,  
Ut multis valeam per totum versibus orbem  
Ferre tui laudes Andreae; Te ille iuvante  
(O Dilecta DEO præ cunctis Virgo MARIA)  
Consuevit placide duros tolerare labores,  
Et veluti Christi patiens est mortuus Heros.

Post bis quingentos Annos & sæcula septem  
Undecimo lustro Benedictus Papa Beatus

A

Ævi Currentis lumenque decusque locutus:  
 „ Oppetit mortem pro Christo sponte *BOBOLA.* „  
 Verus hic est Martyr, sicut subscripserat Ipse  
 Antistes triplici redimitus rite Corona.  
*ROMA* nequit falli, Romæ mirabile lumen,  
 Quidquid in Orbe venit pulchri vel nomine Sancti,  
 Id totum monstrat visentibus unica Roma.  
 In templum Princeps spatiosum Maximus intrat  
 Jam cruce, iamque Sacerdotali veste decorus,  
 Quem prope circumstant Prælati murice tecti  
 Protinus a longe numeroso milite cinctum.  
 En genibus flexis veneratur Corpus JESU  
 En stans ante pedes Petri multa oscula figit,  
 Submittitque pedi statuæ proprium caput orans.  
 Vespere sic omni se binis occupat horis  
*PAPA PIUS SEXTUS* Pastor pius Urbis & Orbis.  
 Quis satis exponet, quanta pietate relucens  
 Sacrificat, Missas cantando, sive legendo?  
 Jure placet precibus longis impendere tempus,  
 Et diu in Æde sacra cum sacrificantibus esse.  
 Ingentes statuæ vivi de marmore vultus,  
 Dum venit Antistes Summus, gaudere videntur;  
 Dextra tenet Statuam *FRANCISCI*, parsque sinistra  
 Altaris Primi Patriarcham hoc Ordine clarum,  
 Qui niveo renitens vestitu *PRÆDICAT* usque,  
 Et manibus plenis Sacrata *ROSARIA* spargit;  
*ELIAS* ignivomo petulantes territat ense,  
 Tum *BENEDICTUS* adest veteris sacer Ordinis autor,  
 Nomine tum JESU splendens *IGNATIUS* adstat,  
 Qui docuit socios ad maiorem omnia laudem  
 Numinis Æterni facere, ac incendere cunctos  
 Ad redamandum humilem Christum ferventius usque

In cruce pro nobis miseris asperrima passum.  
 Verbi quaque die Divini Præco *PHILIPPUS*  
 Dicitur hinc Nerius Romanus Apostolus esse.  
 Se crucians *PETRUS* ( propter quem Alcantara claret: )  
 Francisci Seraphim melius vestigia pressit,  
 Sic Franciscani meliori sorte fruuntur.  
 Carmelitarum Mater *TERESIA* Magna  
 Intemerata colens bene Virginitatis Amorem  
 Ecclesiam multis cum Fundatoribus ornat,  
 Imo sustentat quasi prodigiosa columna;  
 Nam velut assiduis domus exagitata procellis  
 Semper eget, ne labatur, fulcimine multo,  
 Sic ne corruerent subito moresque, Fidesque,  
 Prodesset monachos augeri tempore quovis.  
 Quam bene bis centum templa & Collegia Romæ  
 Sexus uterque tenet, queis certa est Regula vitæ,  
 Et quorum labiis resonant noctuque diuque  
 Laudes supremi Domini, qui cuncta creavit,  
 Mandatque, ut populus fallacia gaudia linquens  
 Sobrie in hoc sæclo vivat, iusteque, pieque.

Talis erat lustrans loca ( quæ præterfluit annis  
 Pina: ) rudes animos *ANDREAS* quando solebat  
 Pane cibare *DEI* per millia templa, domosque,  
 Vel quando Pinski per vicus agmine longo  
 Ducebat pueros in templum, voce sonora  
 Optimum amare docens *DEUM*, & internoscere *Trinum*,  
 Illi dicta sibi repetunt modulamine dulci,  
 Et Fidei donum referentes *Æthera* complent.  
 Sæpe foras ibat socio comitante Sacerdos  
 Nigras indutus tunicas & pallia nigra,  
 Nam fuit *Andreas* summo sub Nomine *JESU*

Ordinis erecti abs Loiola doctus alumnus.  
 Non omnes Parochi Romæ ( dum luce dicata  
 Marco, per plateas longo bini ordine pergunt : )  
 Vestibus utuntur nigris, at cæruleus unus  
 Ex Abbate trahens *SILVESTRO* nomen amatum,  
 Et scapulare gerens ad *PETRI* limina tendit  
 Junctus Presbytero, cui prodest fusca cuculla,  
 Perque *AUGUSTINUM* Magnum data Regula morum.  
 Cum griseis monachis nodoso fune ligatis  
 Paulanus simul Æmiliani abit assecla Sancti;  
 Pauperibus tribui vastas *HIERONYMUS* ædes  
 Svaserat, ut possent provisi veste cibusque  
 Orare, ac Missas audire labore gravandi;  
 Verum *FRANCISCUS DE PAULA* semper ab esu  
 Carnis cujusvis & lactis reddere prorsus.  
 Immunes voluit socios per vota quaterna.  
 Instar *VALESIE FELICIS* vestibus albis.  
 Presbyter indutus, suum habens a Numine Trino  
 Nomen, abit cum Servita gestante cucullum,  
 Et scapulare nigrum parvo discrimine formæ.  
 Ne facerent Papam Te, Sancte *PHILIPPE* ( *MARIÆ*  
 Servorum Pater : ) Occulte deserta petisti,  
 Tu vero fecisti cum Felice *JOANNES*,  
 Quod vester captos redimendo liberat ordo.  
 Discipuli minime *BRUNONIS* pergere visi,  
 Nec, *ROMUALDE*, tui, nam stricta silentia servant  
 Vestiti tunicis albis, neque carnibus unquam  
 Vesci præsumunt ipsorum lege vetante.  
 At Carmelitæ scapularia longa gerentes  
 Incedunt cum aliis ob vestimenta coloris  
 Diversi ad curas animarum non minus aptis;  
 Sic quadrageni multiplicis Ordinis ( omnes

Cum rutilante stola: ) Parochi prænobile templum  
 Ascendunt superans quodvis mirabile mundi  
 In Vaticano famoso monte locatum.

Quatuor imprimis Doctores exhibet Ara  
 Romanæ Sedis reverenter jura tuentes.  
 Pontifices Græcos celebres similesque Latinos.  
*AMBROSIUS* fundit scribendo dubia mella;  
*AUGUSTINUS* amans veri, subtiliter Orbem  
 Erudiens, mirum se prodidit esse Magistrum.

Ambrosius libro Officiorum talia fatur:

„ Vasa sacrata licet conflare, & vendere, tantum  
 „ Pauperibus dones, cures nova condere templa  
 „ In libertatem captivos assere pulchram. „  
 Augustinus idem docet; imo Virgo *MARIA*  
 (Scripturas rimante Sacras interprete tanto:)  
 „ Non ideo felix, quia Verbum & Corpus *JESU*  
 „ Facta *DEI* Mater mirabilis edidit Orbi,  
 „ Sed quoniam celso cum Virginitatis honore  
 „ Intemerata manens ad mortem, more sagacis  
 „ Disquirebat apis mel Divini undique Verbi,  
 „ Et custoditum factis pia corde tenebat. „

In medio templi sublimior eminent ara  
 Sub nitido tecto fuis ex ære columnis  
 Innixo; Summus Princeps & Pastor ad istam  
 Sacrificare solet; sub eadem Corpora Petri  
 Et Pauli veneranda jacent spargentibus ignem  
 Lampadibus centum; locus hic Confessio Petri  
 Appellatur. Honos mundi, Sanctissime *PETRE*,  
 Cui Dominus *JESUS* totum commisit Ovile,  
 Tu stabilem Romæ voluisti ponere sedem,  
 Te caput esse suum protunc Ecclesia scivit;

Mentibus inspirat per verba salubria verum,  
 Ac Auditores dociles inducere curat  
 Ad peragenda pie, recteque negotia vasta,  
 Ad fundenda manu larga munuscula plebi  
 Tristibus afflictae morbis & frigore saevo.  
 Quando loco papis vivum jam Corpus JESU  
 Mox per verba Dei Christi validissima factum  
 Sacrificans manibus protensis elevat, omnes  
 Fronte statim terram ferientes Illud adorant;  
 Praestat idem Princeps solio fulgente relicto  
 Nunc prostratus humi votis ardentibus instans,  
 Nunc de promeritis satagens & morte cruenta  
 Participare Dei, qui humanos induit artus.

Num Sanctus Romam Sanctam non esse putabat  
 Rex Nonus *LUDOVICUS* agens non impia bella?  
 Qui volvens animo solerter, quomodo posset  
 Arva Palestinæ pretioso sanguine Christi  
 Consecrata, piæ Sanctorum reddere genti,  
 Non cessabat opem patienter quaerere Romæ  
 Consiliis Summi Pastoris fortiter usus.  
 Scilicet Heroi tanto si mille daretur  
 Annos in terra dominanti ducere vitam,  
 Non tamen abnueret duros perferre labores.  
 Bis in velivolis legiones navibus ipse  
 Per mare traduxit comitante haud deside turba,  
 Non fugiens bellum, non mille pericula mortis  
 Ardenter voluit terras, ereptaque templa  
 Restitui subito, ne servitioque, jugoque  
 Christiadae multos premerentur turpiter annos.  
 Gentibus exprobrat hoc alia inter crimina Paulus,  
 Quod



Quod deerat cupidis illis affectio Cordis,  
 „ Gens non compatiens miseris, gens pessima certe. „  
 Pluris apud iustos argentea et aurea vasa  
 Haud dubie non sunt, quam vita salusque virorum.  
 O miseri Græci, quis vos defendere tentat?  
 Jam placeat virtus, non dira superbia vobis,  
 Pontificis sit Romani Benedictio chara,  
 Et data laudetur satis Indulgentia Romæ,  
 Casta pudicitiae reliquis plus jura colantur,  
 Nitimini Papam venerari & amare Latinos,  
 Si cupitis stolidos confestim vincere Turcas.

Illam perpetuo Sanctam appellabimus Urbem,  
 Semper ubi colitur Christi venerabile Corpus  
 Diversis pulchrisque modis per plurima templa,  
 Nam Lateranensis positos Ecclesia muros  
 A Constantino manifeste Casare magno  
 Ostentans, in principio resplenduit anni  
 Luminibus cera nivea pascentibus ignem  
 Per quadragenas radiantem blandius horas.  
 Inter candelas auro gemmisque refulgens  
 Vas retinet Corpus vivum (mirabile dictu:)  
 Sub specie panis venerandum Corpus JESU.  
 In templis Romæ miracula talia crebro  
 Hac ratione solent fieri: substantia panis,  
 Seu de triticea massa levis Hostia tosta  
 Intra momentum mutatur tempore Missæ  
 In vivum Corpus CHRISTI, dum verba leguntur  
 Ore Sacerdotum, quibus est data magna potestas  
 Per Sacramentum Ordinis abs Antistite vero  
 Coliatum, Sacer impressusque in mente character.  
 Taliter expositum Divinum Corpus adorant  
 In Lateranensi Templo, tum tempore toto

Christiadae JESUM venerantur poplite flexo  
 Quadraginta horis solitum cum vase locari  
 In templis aliis simul inter lumina multa.  
 Ergo novo quovis anno veneratio maior  
 Christo sub specie panis nunc sponte latentis  
 In Lateranensi Templo studio incipit acri  
 Persolvi, nam conveniunt orare gementes;  
 In reliquis autem simili ratione diebus  
 Ecclesias reliquas curant invisere multi  
 Propter adorandum Divinum Corpus JESU;  
 In forma crucis extensas ad sidera palmas  
 Plebs proba gestando satagit consumere tempus  
 Utiliter sine fine rogans insignia dona  
 Virtutum Fidei vivae, ferventis amoris,  
 Atque spei firmæ, vehementis sæpe doloris  
 Ob commissa nimis male crimina jure cavenda.  
 Nonne magis semperque magis dulcissime JESU  
 Viribus & toto debemus pectore niti,  
 Ut tibi majori cultum exhibeamus amore  
 Semper ad hæc alacres, per quæ tibi possumus usque  
 Ex animo grato magis inservire decenter.  
 Nonne satis fuerat mortale assumere Corpus,  
 In quo factus homo, nunquam cesans Deus esse,  
 Summa es perpeßus mala nostri CHRISTE misertus?  
 Insuper ah! propriam dignatus es addere carnem  
 Ad manducandum nobis, svavissime JESU  
 Sub specie panis mira ratione latendo,  
 Ut refici possent animæ, neu Corpus JESU  
 Semper adorandum digno fraudetur honore.  
 Quam bene de Christo scripsit celeberrimus Ille  
 Angelicus Doctor THOMAS de Principe natus,  
 Illustrat mundum cuius sapientia magna

Sol velut in medio cursu flammantia Coelo  
 Mobilium vibrans radiorum tela sereno.  
 Sed minime conscripsisset præclarus Aquinas  
 Tam multos doctosque libros persæpe legendos,  
 Ni juvenis Thomas in Religione diserta  
 Obstrictus fieret monachus per publica vota.  
 Virginitatis avens decus omni tempore vitæ  
 Conservare, suos Fratres docilesque sorores  
 Induxit vitæ Angelicæ consvescere semper  
 Immunes a connubio bene claustra colendo.  
 Vixit ut Angelus, & scripsit velut Angelus experta  
 Erroris Thomas decoratus nomine Sancti,  
 Nam qui sollicitus meditatur quomodo posset  
 Usque placere DEO, nec vane cogitat unquam,  
 Quæ sunt mundi, is erit sibi, erit simul utilis Orbi.

Angelico sane Doctore Sancta placebat  
 Roma, ubi Divino Verbo jejunia Sacra  
 In variis templis pinguescunt omnibus annis,  
 Octuagesimus octavus mirabilis annus  
 Audierat Carmelitam Divina sonantem  
 In Vaticano mysteria iussaque templo  
 Quadraginta dies, queis plebs a carne fidelis  
 Abstinet ad normam præstantem ipsius JESU;  
 Octuagesimo idem nono docta arte peregit  
 Cappuccinus ovans, qui iam conabitur Orbi  
 Præpositus factus Generalis ferre levamen,  
 Jam vero qualem, rogo, nonagesimus annus  
 In Vaticana Patrem auscultaverat æde  
 Multa perorantem de vita legeque Christi?  
 Huncce Sacerdotum Fratrem, nova Regula cuius  
 Auspiciis Augustini discalceat apte,  
 (Est autem Pater illorum, si vera loquemur,

Qui necdum sunt Presbyteri quicumque Sacerdos:)
   
 Ex Augustini, repeto, Prior Ordine Magni
   
 Esuriem cupiens animarum voce levare,
   
 Svadebat populo pietatem discere veram.
   
 Sic facit in templo proprio, qui prædicat usque
   
 Ordo salutifere Sacrata *ROSARIA* spargens
   
 Omne per id tempus, quo quadraginta diebus
   
 Gens imbuta Fide Christi ieiunia servat.
   
 Non etenim ieiunasset generosus uterque
   
*MOYSES* cum *ELIA* per quadraginta dierum
   
 Curriculum manducando nil, nilque bibendo,
   
 Nec daret exemplum Rex regum maius *JESUS*;
   
 Si non chara *DEO* fierent ieiunia plebis.
   
 Alta die festa scandens Capitolia vulgus
   
 Percipit in templo non deses Biblia Sacra,
   
 Quæ Franciscanus solet explanare Sacerdos;
   
 Pars populi Sacras Scripturas auribus haurit
   
 Ingrediens Augustini Venerabile fanum,
   
 Pars abit in templum summo sub Nomine *JESU*
  
 Erectum (Divi *Loiolæ* hic ossa quiescunt:)
   
 Hac in adornata festivis æde diebus
   
 Explanant culte Sacra Biblia vespere facto,
   
 Mane Sacerdotes autem præcuntibus illis
   
 Bis fere viginti Paschalia Festa diebus
   
 Suppeditant avidis doctrinæ mentibus escam.
   
 Sed quia nil animas melius nutritque fovetque,
   
 Quam meditatio alens, seu spiritualia pridem
   
 Nota Exercitia, ast calamo perfecta stupende
   
 Mirifici Sancti iam per duo sæcula culti,
   
 Ut patet ex celebri libro, quem instructus ab ipsa
   
 Matre *DEI* verax *IGNATIUS* edidit Heros;
   
 Hinc adeunt quovis anno Collegia Romæ

Christiadae propter secessum ad quinque vel octo,  
 Imo dies plures inter monachalia claustra,  
 Ut vitare malos mores & crescere discant  
 Per castos in frugiferis virtutibus actus,  
 Percipiantue statum vitae, qui convenit ipsis.  
 CAROLUS Antistes Mediolanensis & idem  
 Purpureos inter Patres notissimus Orbi  
 Evasit magnus Sanctus, sed quomodo magnus  
 Factus sit Sanctus tractando negotia multa?  
 Nulla quod invictus tractabat Episcopus Heros  
 Omni Exercitiis dum Spiritualibus anno  
 Incumbens in cœnobiis habitare solebat  
 Per mensem sub Presbytero per vota coruscò.  
 Iste Tridentinae Synodi pulcherrima legum  
 Impleri solers curans oracula Præsul  
 Nunc iuvenesque senesque docens lustrabat Ovile,  
 Nunc Mediolanum claros virtute vocabat  
 Sæpe Sacerdotes multos, quibus omnia passim  
 Proposuit vitanda, simul concordibus auctus  
 Consilii Synodi repetitæ lumina dando  
 Et capiêdo nova abs aliis ardentius optat  
 Amplificare DEI cultum adiutantibus una  
 Presbyteris etiam per Religiosa ligatis  
 Vota, qui eo res difficiles feliciter implent,  
 Quo magis obstricti per iuramenta videntur;  
 Sicut enim miles Regi constanter obedit,  
 Quod iuramentis ad iussa sequenda ligetur,  
 Sic ordo quivis terræ Cælique satori  
 Liberius servit, nam talis præplacet ipsi,  
 Qui dicti memor usque (Vovete & reddite:) vivit  
 Quis vero nescit, quot millia Carolus idem  
 Distribuit? Donata sibi non condit in arca

Paup̄ribus reddens, terras quoque vendidit h̄eres,  
 Ut miseris aurum omne die dispergeret una.  
 Quis vigil ignorat, quales grassantibus idem  
 Pestiferis morbis adhibebat supplice corde  
 Sponte modos ad placandam cito Numinis iram?  
 Difficili medio Pastor bonus utitur iste,  
 Quando crucis lignum per compita plebe sequente  
 Nudipes incedens orando baiulat ingens.  
 „ Fertilitas terræ regioni certior esset,  
 „ Si monachi plures, numerosaque condita templa  
 „ Grandibus in villis essent, nec parva carerent  
 „ Oppida tum monachis, tum Missa mane perenni. „  
 Cum monachis etenim contrito corde frequenter  
 Plebs orans meditansque pias res tempore Missæ  
 Impetrat a summo Domino, quibus indiget usque,  
 Et plus assiduis lacrimis oratio mixta  
 Efficit in terra, quam sive industria magna,  
 Sive labor gratus fodiendæ vomere glebæ,  
 Gens igitur bene compatiens crudelibus illis  
 Tormentis: (quæ sustinuit Salvator JESUS  
 Pro nobis:) peragit stationes pluribus horis  
 Cum lacrymis multis orando, pluraque Romæ  
 Visendo decorata pie loca imagine multa,  
 Quæ referunt mortem, tormentaue maxima Christi  
 Uberius flendo veniens ad mænia prisci  
 Vasta Colossei sædati risibus olim  
 Horrendis vulgi probitatē Fideque carentis.  
 Quid plus de Sancta teneat conscribere Roma  
 Anxius hic dubia mecum dum mente voluto  
 Andreas Martyr mihi talia dicere visus:  
 „ Festina, licet immensum complere laborem,  
 „ Nonne Patrocinium multis expertus es annis,

„ Quo tibi met prosum curis ingentibus ægro?  
 „ Egregiis dignos Romanæ laudibus Urbis  
 „ Mores coneris gravibus depromere verbis.  
 „ Ipse Redemptori nulla ratione placerem,  
 „ Nec moriens possem cælestes scandere sedes,  
 „ Si non Romanæ Sedi addictissimus essem. „  
 His monitis pigrum Pincensis Apostolus urgens  
 Scriptorem, mentis quoque robur Martyr adauget  
 Tanquam prodigiis clarens clemensque Patronus.  
 Obsequor, o! Christi non segnis Serve Bobola,  
 Præsidiumque meum! nunc Indulgentia plena  
 Commemoranda venit, quam Romæ acquirere possunt  
 Visentes homines septem celeberrima templa.  
 Sic Lateranensis gaudens Ecclesia Prima  
 Nomine Baptistæ, prædilectique *JOANNIS*  
 Et caput & Mater templorum est Urbis & Orbis.  
 Sic mirabilibus cunctis Ecclesia præstat  
 In Vaticano famoso monte locata  
 Augustum ducens a *PETRO* Principe cætus  
 Nomen Apostolici, decorataque Sede suprema.  
 Sic celebris Sancti titulis Ecclesia *PAULI*  
 Extat in hacce via, quæ ducit ad Ostia Tibris.  
 Sic Patriarchalis subiens Ecclesia quarto  
 Ordine constructa est in summo vertice montis,  
 Qui mirabiliter gelidis apparuit olim  
 Conspersus nivibus sextili mense calente.  
 Sunt extra muros duo adhuc monachalia templa,  
 Condecorat Divus Martyr *LAURENTIUS* unum,  
 Stemma Sebastani diversum Martyris ornat.  
 Postremo poterit valvis ingentibus adstans  
 Ecclesiæ Lateranensis spectare vetustas  
 Sub titulo *SANCTÆ CRUCIS* æde, Cæsaris actum;

Septem hæc nocturnis invisere templa solebat  
 Horis magnanimus *JOSEPHUS*, Regula cuius  
 Hortatur socios ad sponte ferenda laborum  
 In pueris recte formandis tædia longa;  
 Hinc veniente die Sanctus Calasanctius ipse  
 Cum pueris multis iam versabatur in Æde  
 Dicendis Missis & sacris usibus apta,  
 Jamque scholis destinata doctisque piisque  
 Sedulus inspirans Matris DEI in ordine pauper  
 Virtutes varias ætati ad singula pronæ,  
 Hæc Nerius septem visebat templa Philippus  
 Dictus communi Romanus Apostolus ore.

Præterea prostant habitacula plurima Romæ,  
 In quibus infirmi gratis curantur, aluntur;  
 Hinc sociis ædes, donataque templa (*JOANNIS  
 DE DEO:*) hic est heros ingens, quem Hispania vidit  
 In mediis flammis operantem, quando ferebat  
 Auxilium miseris ægrotis, intus amore  
 Accensus Domini JESU, foris urere promptum  
 Ignem non metuens, idem transferre sciebat  
 In propriis humeris ægros ad commoda tecta  
 Non dubitans Socios per Religiosa sagaces  
 Talibus obsequiis flagrans addicere vota.  
 Semper ubi crescit pulchre miseratio casta,  
 Illic verâ Fides viget, hinc circumdata muro  
 Pro variis loca pauperibus dispersa per Urbem  
 Apparent, ac propterea bene Roma vocatur  
 Sancta, domus etenim dantur, quas veste cibusque  
 Provisi retinent homines errore relicto  
 Adversus Fidei certissima dogmata quovis.  
 Absque bonis factis (*timeamus:*) mortua certe



„ Dicitur esse Fides, nam si quis possidet escas,  
 „ Et tunicas multas, dare nullam debet habenti. „

Famosus multis e Fundatoribus unus  
 Urgebat probus a *PAULO VINCENTIUS* amplis  
 Curis, ut luxum resecantes plurima sponte  
 Donarent pro pauperibus constanter alendis  
 Ædibus in vastis locupletes, tempore iusto  
 Ægros visendo, puerosque parentibus orbos,  
 Servitiumque illis præstando propter *JESUM*;  
 Nonne laborantem studiose Gallia dives  
 Viderat hunc Sanctum cupientem tempus in omne  
 Per socios gnavos orbi succurrere toti?

Nonne *PETRUM* genuit Nolascum Francia valde  
 Servo odiosa *DEI* propter nimis impia facta  
 Dictaque? Deseruit Petrus illam tale proborum  
 Instituens agmen, quod adhuc per publica vota  
 Ad cito captivos redimendos sponte ligatur?

Nonne peragrantem vidit de principe natum  
 Gallia *NORBERTUM*, qui nudipes omnia lustrans  
 Oppida, zelose vitiorum monstra docebat  
 Evitare, bonisque assuescere moribus, atque  
 Ædes fundabat nec non monachalia templa,  
 Quo plures homines Doctoris Regula summi  
 Dirigeret, reddens aptos ad plurima natos  
 In Præmonstrato spatio per publica vota?

Nonne *CAMILLUS* erat miro inflammatus amore  
 Cuiusvis hominis non horrens ulcera fæda,  
 Quæ conabatur medicinis tollere prompte,  
 Discipulis onus imponens per grandia Sanctus  
 Vota ministrandi dextre morientibus ægris  
 Infectis putrida febri vel peste necante?

Constituit *CAIETANUS* succurrere mundo

Nullam pro curis magnisque laboribus æquam  
 Cum sociis solito mercedem more requirens  
 Usurus non sollicitè nec sæpe rogata  
 Sed stipe sponte data sperans in Numine vero,  
 Obstrictus quoque per valde meritoria vota.

Mellifluus propter præclara volumina Doctor  
 Clarius evasit *BERNARDUS* bella movendo  
 Et nova fundando monachorum mænia vastis  
 Cum domibus templisque sonantia: „ Dilige *JESUM*. „  
 Sanctus hic Europam percurrens fulguris instar  
 Prodigis loca diversis populosa replebat  
 Ad persuadendum turbis & Regibus ipsis:  
 Grata futura DEO, quæ naviter acria bella  
 Ob Sacra Pontifici loca restituenda gerentur.

Presbyter *EUSEBIUS* distinctus stemmate Primæ  
 Archi-Diœcesis, quas possidet Hungara tellus,  
 Pauper amore DEI vivens elegerat esse,  
 Et socios invitans ad monachalia claustra  
 Ex variis fratres prudens collegit eremis  
 Instar Eremitæ cupientes vivere Primi  
 Pauli, quod fecit Thoma Doctore iuvante  
 Angelico, nec non Pastore volente supremo;  
 Sic data Paulinis barbatis candida vestis,  
 Ac Augustini celeberrima Regula vitæ,  
 „ Nam duo vel plures ubi sunt in Nomine Christi  
 „ Collecti, manet omnipotens quoque Christus ibidem.

Ecclesiam Vaticanam *JULIANA* Beata  
 De Falconeriis decorat velut ordinis aucti  
 Fundatrix, nam sicut erant moderante Philippo  
*BENITIO* servi per Religiosa *MARIÆ*  
 Vota DEO consecrati lætantibus astris;  
 Sancta laborabat pariter percommoda multis

Prospiciens loca personis muliebris amata  
 Sexus, ut possent in Virginitate manere  
 Corda reservantes Domino Purissima JESU,  
 „ Nam Salvatori magis hac ratione placemus,  
 „ In casta quando non est divisio cordis  
 Vita, jam vero tum Religiosa libenter  
 Vota emissa juvant, tum morum Regula certa,  
 Claustraque diversum caute removentia sexum,  
 Ut Sacra Virginitas servetur tutius usque.  
 „ Vix caro per carnem spernendam tangitur, ignis  
 „ Exoritur fæde crucians, extinguitur autem  
 „ Ignis Divini summe pretiosus amoris. „  
 Pandit ad astra viam *BENEDICTI* vita Latinis  
 Non minus ac Græcis *BASILII* Regula Magni.  
 Hinc Statuæ positæ sunt Fundatoribus istis  
 In Vaticana magnis cum sumptibus Æde,  
 Ut caperent omnes a quolibet Ordinem Sanctam  
 Ecclesiam sustentari, moresque fidemque.

## LIBER II.

Ut te jam dignis, Andrea, laudibus ornem,  
 Num similem Franciscano te dicere magno  
 Non potero, cujus proponitur integra *LINGUA*?  
 Vel te Ferrerio celebrato pluribus annis  
 Equando, referam, quod sis *VINCENTIUS* alter.  
 Fer mihi majorem fer opem generose *BOBOLA*,  
 Versibus eximiis vellem carissime Martyr  
 Explanare tuam susceptam propter *JESUM*  
 Per multos annos operam conamine forti.  
 Grande sonare melos meditor fusurus in auras

Vel nova vel pulchro resonantia carmina flexu;  
 Nunc adsis Regina potens circumdata stellis,  
 Innumeris solem radiis obducta nitentem,  
 Et pedibus calcans variantis cornua Lunæ,  
 Filius ecce tuus, Sanctissima Virgo MARIA,  
 Quem manibus gestas, tibi tanquam pusio Matri  
 Blanditur, sed cum pariter sit Noster JESUS  
 Omnipotens Exercituum Deus, omnia dando  
 Felicem poterit solus me reddere semper,  
 Ingenioque meo sæcundas addere vires.

En Paduæ juxta vulgarem *ANTONIUS* usum  
 Exprimitur *SANCTUS*, nam mox monstrabitur illud  
 Templum, quod servat per bis tria sæcula totam  
 Linguam, si veniens externus quærere Sanctum  
 Incipit, unde patet quantos Antonius usque  
 Divus apud gratos cives acquirit honores,  
 In famulante loco Doctrinæ, mœnia longa  
 Et nitidas ædes ornataque templa tenentes.  
 Sufficit in docta Padua proferre patenter  
 Sancti voculam, ut hac Antonius illico solus  
 Prodatur, quamvis alios cognoscere Sanctos  
 Non prohibetur ibi; sed quare Lingua redactis  
 In cinerem membris aliis nunc unica tantum  
 Incorrupta manet? Quare vult jùgiter illam  
 Conservare movens per tot miracula Numen  
 Sensus humanos? Ut sit per sæcula notum,  
 Esse peracceptos jaculanti fulmina tales,  
 „ Erudiunt ad Justitiam qui plurima corda: „  
 O nimium felix, quæ multis lingua Beati  
 Persuadere fidem potuit moresque decentes!  
 O felix, quæ fida ciens suspiria Trinum  
 Laudabat Numen, nec non persæpe docebat

Enarrare rudes, quam magna Potentia cunctas  
 E nihilo per magnificum res Velle *CREANTIS!*  
 Quam simul est sapiens & verax semper amandus,  
 Qui nunquam potuit falli vel fallere quemquam!  
 „ Quam *BONUS* est proprio Statuens non parcere Nato,  
 „ Qui crucis ad mortem pro nobis tradidit illum. „  
 Bellipotens ergo si Lusitania gaudet  
 Progenuisse virum dictum abs Antistite Summo  
 „ Divini testamenti nec inaniter Arcam. „  
 Cur quoque lætari nequeat Lithvania magna  
 Integrum servans & spirans Corpus odorem  
 Andreae, cui Martyrii feliciter ingens  
 Inter Apostolicos obvenit palma labores?

Hungarici Regni Capitalis jure vocata  
*BUDA* (jugo famosa) *MANUM*, qua mûnera large  
 Rex Stephanus Sanctus tribuebat, servat in Arce,  
 Incorrupta manus monstratur dextera Regis;  
 Ast incorruptum imago fas est cernere totum  
 Martyris Andreae corpus, licet humida Pinski  
 Aedibus ornati monachorum terra sepulchrum  
 Suppeditat, nam conspexi venerabile Corpus  
 Octogesimo ego sexto miserabilis ævi  
 Anno, dum cupiens multis invisere claram  
 Prodigiiis tumbam superavi mense Decembri  
 Montes constrictamque viam nive tramite longo,  
 Et fluvios glacie concretos, milleque casus,  
 Ac ita perveni non parcens sumptibus ullis  
 Non iter horrendum vitans ad mœnia vasta  
 Ecclesiae Pinskiensis, eam moderante recenter  
 Subiecto Sedi Romanæ Præsule Græco,  
 A sociis JESU structam non segniter ante;  
 Non modo conspexi, sed multa ibi basia fixi,

Oscula sæpe dedi palpans venerabile corpus  
 Cum pedibusque manus, admirans omnia membra  
 Incorrupta loco servari martyris udo,  
 Talia dum perago supplex & poplite flexo  
 Fundo preces, subito lacrymarum sentio suaves  
 Ex oculis volvi rivos, solatia large  
 Distribuyente DEO tolerantibus ardua sponte,  
 O lacrymæ dulces! o! & solatia vera,  
 Nil quibus in vita peritura suavius extat,  
 Tunc non poenituit me corripuisse molestan  
 Longinquamque viam, tunc compensatus abunde  
 Et meus est visus labor & dispendia facta!  
 Quid memorem multos, quibus est cito reddita Pinski  
 Firma valetudo, postquam contingere corpus  
 Andreæ fuerat concessum? absentibus autem  
 Pileolus tantum, qui Martyris attigit artus,  
 Impositus rigidos pellebat sæpe dolores,  
 Discite mortales Andream Numinis ergo  
 Continuis precibus venerari, discite prompte!

Saxonix Princeps Augustus quando secundus  
 (Sub quo belligeri florebant Rege Poloni)  
 Incepit gravibus morbi cruciatibus uri,  
 Convenere statim magnis a Principe forti  
 Divitiis aucti medici constanter habentes  
 Nullo non anno nummorum millia multa  
 Ex fisco Regis præter Regalia dona;  
 Consiliis initis secum prudenter avebant  
 Illustres medici Friderico reddere vires,  
 Appositisque modis, quos impigra lectio multis  
 Annis librorum, quos experientia longa  
 Ipsis suggestit, satagebant pellere tetros  
 Languores, at triste malo crescente fatentur

Pharmaca plus Regi iam non prodesse, nec artem  
 Hippocratis Cui, nullis iam posse iuvari  
 Naturam mediis humanis; Regia mæsto  
 Immugit luctu, lethalem Principis esse  
 Morbum præpropere volitando fama Polonis  
 Nunciat, ah! Scimus, clamant iuvenesque senesque,  
 Andream socium JESU clarescere multis  
 Pinski prodigiis, Augustus (Gloria Regni)  
 Commendetur ei, Martyr venerabilis ægro,  
 Quæ medici nequeunt, poterit solamina ferre;  
 Accedens igitur Fridericum corde faventi  
 „Magne velis Princeps (ait e Magnatibus unus)  
 „Ad tumulum Andreae non vilia mittere dona  
 „In propriis Sanctis mirabile Numen adorans,  
 „Auxiliumque petens humili prece Martyris Eius. „  
 Illico Rex mandat producere splendida dona,  
 A rapido Pinski quæ dum cursore vehuntur,  
 Interea crebros fundit pro Principe fletus  
 Divinam implorans bonitatem turba clientum;  
 Ipse trahens magno Augustus suspiria motu  
 „Propitium mihi redde Deum (sic languidus orat)  
 „Et desideriis vehementibus Annue *MARTYR*,  
 „Quam mihi præstabis, te verum gratia mundo  
 „Esse DEI servum, te declarabit amicum,  
 „Et simul, Andrea, per totum Gloria Trini  
 „Numinis atque fides magis amplificabitur Orbem. „  
 Viv pervenerunt regalia munera Pinski  
 Et perlata sacrum modice tetigere sepulchrum,  
 (O! rem mirandam!) nimium Rex dissitus inde  
 Convaluit subito gaudens sibi sospes eodem  
 Tempore restitui charam validamque salutem,  
 Quippe placere DEO devotum Martyris huius

Exorata docent precibus miracula cultum!  
 Discite mortales *ANDREAM* Numinis ergo  
 Discite concordi venerari mente frequenter!

Non ita sævit agens *Eurus* mare præpete cursu,  
 Non ita bacchatur turbatis *Africus* undis  
 Horrida cum *Borea* glaciale prælia miscens,  
 Sicut crudelis vanis conatibus *Aman*  
 Ambitione suos sensus agitante furebat  
 In cruce probrosa cupiens suspendere servum  
 Regnanti satis addictum pietate decorum  
 Sub *Mardochæi* rudibus quoque nomine notum;  
 Principis at iussu *Summi* dum debuit *Aman*  
 Per vicos illum numerosa plebe refertos  
 Splendide equo consistentem deducere clamans:  
 „ Hic vir, hic est certe tam magno dignus honore,  
 „ Ut cives omnes venerentur iugiter ipsum,  
 „ Quem sic terreni *Rex* maximus orbis honorat,  
 Tunc *Mardochæum* coluerunt poplite multi  
 Flexo, tunc idem cunctis est visus honestus.

Jure etiam colitur *Piscensis* *Apostolus* ævo  
*Currenti*, quem prodigiis decoraverat ultor  
 Trux scelerum, sed munifice virtutibus ampla  
 Dona *DEUS* tribuens, dum totum corpus odorum  
*Martyris* *Andræ* conservat & acribus ægros  
 Affictos morbis solet absque salubribus herbis  
 Clementer sanare probos, qui visere *Piscis*  
 Non dedignantur tumulum venerabilis huius  
*Presbyteri*, verum devote Numen adorant  
 Ipsius servo se commendare studentes,  
 Hinc decimus quartus *Benedictus* & *Urbis* & *Orbis*  
*Supremus* *Pastor*, nec non doctissimus ævi  
*Labentis* *Præsul* propria subscribere dextra



Noverat edictum, quod divulgare per orbem  
 Non cessat: „ sæva sublatum morte fuisse  
 „ ANDREAM Christi causa, „ cum strenuus esset  
 Romanæ Fidei promotor ad ultima vitæ  
 Tempora, defendit zelus fortius illam,  
 Dum cogebatur nimis a tortoribus insons  
 Per tormenta Fidem male retractare salubrem.  
 Testis non falsus sit quinquagesimus annus  
 Et quintus, quo prodierat venerabile Papæ.  
 Decretum promens certis miracula, probata  
 Indiciis & Martyrii causamque modumque.  
 Propterea non est dubium tolerasse libenter  
 Andream rigidos cruciatus propter JESUM,  
 Propterea pariter dilectæ Patrone BOBOLA  
 Non debes dici summis heroibus impar!  
 Et numero quorum VINCENTIUS esse putatur,  
 At non immerito, nam quos Hispania miri  
 Ferrerii non est experta feraciter auctos  
 Sudorum fructus? Sed si VINCENTIUS heros  
 Non fieret monachus, nullos Hispania dives  
 Vidisset valde felices tamque stupendos  
 Effectus opera natos mirabilis huius  
 Presbyteri „ Sicut pisces nascuntur in unda  
 „ Ad nandum, nascuntur aves ad sæpe volandum,  
 „ Sic generatur homo miser ad solerter agendum  
 „ Atque laborandum. „ Sed quis memorare labores  
 Ferrerii cunctos valet omnibus omnia facti,  
 Omnes ut secum ad cælestem duceret arcem?  
 Iscidas hortans & mauros fulmine vocis  
 Ad Baptisma sacrum, nec cessans nobile morum  
 Inspirare decus, transiverat oppida multa.

Post decimum sextum sæclum Litvania cernens  
 Andree similes curas similesque labores  
 Dixerat: „ En ad nos venit VINCENTIUS alter  
 „ En socium JESU verum, non propria lucra  
 „ Quarentem! desudat enim lucrando scelestos  
 „ Et Fidei expertes Christo, fæda otia rumpens. „  
 Cum sociis coopertus erat Vincentius albis  
 Vestibus, in nigris prodire BOBOLA solebat,  
 Hos tamen herœs versabat Spiritus idem  
 Non similes habitu, nec eodem tempore visos,  
 Scilicet Andreas imitando pectore magno  
 Ferrerii zelum fecit, quod Claudius ante  
 Dux Aquaviva suis scriptis mandabat aperte  
 Tanquam præpositus generalis in ordine quintus;  
 Sic etenim perfectus erat Vincentius iste,  
 Ut sociis JESU proponi gnavius ante  
 Debuerit velut excellens operarius orbis,  
 Quem per conatus vigiles æquare studerent.

Ast iterum moneor claris exponere verbis  
 Sedis Apostolicæ mores ritusque sacrorum,  
 Nam sunt in Sancta Roma tam multa recepta  
 Usibus egregiis & passim legibus aptis,  
 Ut nihil utilius quævis illustria mundi  
 Oppida perficerent, quam conformando suorum  
 Templorum mores Romanæ moribus urbis.

Angelici cætus MICHAEL clarissime Princeps,  
 Et gregis in terra Christi fortissime custos!  
 Te precor, ut Sanctus modo me juvet Angelus ille,  
 Qui solitus fuerat reverendo grande BOBOLÆ  
 Inspirare favens robur lumenque ministrans

O præfekte mihi venienti ad limina vitæ  
 Angele Sancte Dei, Te etiam nunc invoco supplex,

( Nam de cælicolis , qui homines custodiat unum ,  
 Omnipotens Exercituum Deus omnibus addit . )  
 Obsecro Te custos venerande miserrimus autor ,  
 Ne frustra scribam , nunc ipse potentior atris  
 Dæmonibus tardam mansvete dirige pennam .  
 Ecclesias nitidas centum , quinimo trecentas  
 ( Quotidie curans diversum visere templum )  
 Invenies ROMÆ , quæ vere totius Orbis  
 Est caput , inque duas ac octoginta secatur  
 Partes , quæ Parochis sunt octoginta duobus  
 Commissæ , nam Presbyteris vulgaribus ultra  
 Quadraginta datæ , reliquæ per vota decoris  
 Religiosa , quibus variis injungere curam  
 Vestibus indutis animarum maxime Pastor  
 Non dubitas , ideoque dies dum candida Sancti  
 Præluet Marci , Romæ intrant ordine pulchro  
 Octoginta duo Parochi mirabile templum  
 In Vaticano famoso monte locatum .  
 „ Ecclesiæ multæ præbent quoque commoda multa  
 „ Pluribus , audiri sermones missaque Sancta  
 „ A septingentis simul in templo uno & eodem  
 „ Personis nequeunt nisi cum discrimine vitæ . „  
 Hinc animas alii Parochi tantummodo curant  
 Sexcentas , aliis non committuntur in urbe  
 Plures quingentis , ut sacra certius omnes  
 Doctrina pascantur in octoginta duabus  
 Ecclesiis . Nerii sed templum corpore Divi  
 Conspicuum ( qui nunc tantummodo dicitur unus  
 E multis Sanctis Romanus Apostolus esse )  
 Hoc templum fulgens , hoc sole cadente per omnes  
 Usque dies resonat fundentibus inclyta verbis  
 Nutrimenta , quibus præstantior indiget usque

Pars hominis, nimirum hominis mens nescia mortis.

Est etiam Romæ (quis non congaudeat æquus?)

Est, inquam, quacunque die altera concio Romæ,

In quali, quæso, sonat altera concio templo?

In templo, fit ubi sacra missio menstrua Romæ,

Designatur enim quovis Ecclesia mense

Talis, ubi pulchra methodo sacra Missio durat,

Presbyteri festis ibi non festisque diebus

Zelose svadent, urgent, hortantur, ut omnes

Peniteat valde, se non égisse quod æquum est,

Multaque iniqua satis se commisisse latenter.

Ad finem mensis dabitur communio sancta,

Quam peccatorum confessio commoda cunctis

Ad cito purgandos animos præcedere debet,

Tunc non indigne pretioso corpore Christi

Sub specie panis mortalis vescitur omnis,

Quando Sacerdotis verbis post rite relatas

Errorum læbes a culpa solvitur omni.

Hei! non vos pigeat mortales dicere sæpe

Coram legitimo sincere iudice, quidquid

Mente sua vel voce mali committitis unquam,

Et quæ perversi facitis contraria certis

Legibus, ut vobis optanda remissio detur.

Nemo potest a peccatis absolvere quenquam,

Si consecratus, seu verus Episcopus absit,

Si pariter nullus mihi verus Presbyter adstet,

Non pigeat coram tantis delicta fateri

Judicibus verum simul exercendo dolorem

Cum firmo quoque proposito non amplius ultro

Peccandi. Mecum, rogo, suspirate frequenter:

„ O! utinam nunquam Deus, Optime, Maximè, Trine,

„ O! utinam te offendissem Sanctissime nunquam?

„ Ah! nunquam offendam Te clementissime JESU  
 „ Auxilio fietus, quod nunc efflagito supplex. „  
 Sic est, ad finem mensis communio Sancta  
 Dividitur Romæ, nec non pro mense futuro  
 Utiliter Sancti tribuuntur sorte Patroni,  
 Quorum descripti mores ac ardua virtus  
 In chartis breviter tutam demonstrat ad astra  
 Difficilemque viam tentandam cuique libenter.

Iam videas, quæ præsentat spectacula Romæ  
 Feria sexta, viam *Crucis* intra mœnia prisca  
 Pluribus assidue peragentibus ore modesto,  
 Nunc lacrymas svaves ibi plebs pia fundere svescit  
 Excipiens de suppliciis et morte cruenta  
 Christi sermones, nunc est Ecclesia parva  
 Vulgus ubi quondam cassum pietate Fideque  
 Sveverat infames horrende tollere risus  
 Aspera spectando stupidum tormenta piorum,  
 Quando necabantur pro Christo tigribus atris  
 Expositi fulvisque leonibus, edere cædes  
 Sangvineoque sitim cupidis extinguere rore.  
 Antiqui contra JESUM clamoribus olim  
 Vasta colossæi stridebant mœnia duris  
 Nunc Domino miseris pro nobis maxima passo  
 Effigies Sacras obeundo turba pudica  
 Luctibus ingenuis grate famulatur ibidem.

Ut rem diversam videas intrabis in ædes  
 Heil! titulum mirum gestantes: Stigmata sacra  
 Ecstasibus magnum Patrem quis nesciat esse  
 A Domino JESU signatum more stupendo  
 FRANCISKUM? quem nudipedem vilissima vestis  
 Contextit, quem corde humilem ieiunia longa  
 Attrivere nimis, quem versus Numen amandum

Magna parem Sanctis Seraphim dilectio fecit,  
 Hinc similes valde Christo Franciscus adeptus  
 Mores, de Christi quoque corpore Sacra recepit  
 Stigmata, promeruitque palam portare beata  
 In latere et palmis et plantis vulnera Sanctus,  
 In cruce transfixus veluti foret instar JESU,  
 In dicto templo constanter Feria sexta  
 Præter Divinum sermonem vespere facto  
 Suppeditat dorsis accommoda verbera large,  
 Quisque suos artus non horret cædere flagris  
 Heu! memor immani cruciatu membra fuisse  
 Dilacerata Dei truncatæ quando columnæ  
 Funibus adstrictus plagarum millia virgis  
 Sustinuit noster Salvator, millia loris.

„ Sic propter Christum patiendò multa libenter  
 „ In terris, etiam conglorificabimur una  
 „ Cum Christo victuri in cælis omne perævum. „  
 Est huic vicinum templum Primaria tecta  
 Dominicanorum, velut ordinis utilis orbi,  
 Plebs ubi mane die omni sacra Rosaria fundit,  
 Suppeditatque pios cunctis annexa decenter  
 Bibliotheca libros celebris persæpe legendos.  
 Non minus est templo sacris vicina coruscò  
 Stigmatibus gaudens Loiolæ Ecclesia Sancti  
 Ossibus et summe venerando nomine JESU,  
 In qua narrantur per sabbata cuncta perite  
 Partim facta Dei Matris miracula nutu,  
 Assiduè partim *MARIÆ* celebrata colendæ  
 Laudibus eximiis excellentissima virtus.

Omnia præterea Divino Sabbata verbo  
 Hebræis resonant in templo nomine Trini  
 Numinis ornato, sic tandem noscere discunt

Isacidæ Dominum JESUM, sacroque lavantur  
 Baptismo, pariter noxa mundantur ab ista,  
 Quam, dum concipitur, mortalis contrahit omnis.  
 Converti nequeunt miseri, nisi prædicet ipsis  
 Sæpe Fidem Præsul vel missus rite Sacerdos  
 Præpositus certæ prudenter Episcopus ergo  
 Quisque Diæcesi curabit, quominus absit  
 Presbyter erudiens simul Hebræosque rudesque  
 Omnibus in villis, is enim non invocatur unquam,  
 Nec Dominum JESUM veneratur, sicut oportet,  
 Qui non agnovit, qui necdum credidit illum  
 Esse Deum verum, quamvis in corpore visum.  
 Nonne Fides ex auditu? sed quomodo possent  
 Exaudire pie, si nemo prædicet ipsis  
 Esse Deum Trinum in Personis, unica cuius  
 Tres prohibet natura deos, tria numina dici.  
 O! pia, magna, potens, o! et Litvania dives,  
 At propter multos iudæos sordida valde!  
 Ex regione tua diros aut ejice prompte,  
 Aut quoniam servare placet, convertere cura  
 Isacidas per Presbyteros credenda docendo,  
 Ut cito tingantur Sacro Baptismate multi.  
 Iste quidem pœnas debet perferre severas,  
 Qui tacitus nollet sacris attendere verbis,  
 „ Verum deterior iudæis atque negavit  
 „ Ille fidem, curam qui non habet altus eorum,  
 „ Quos sibi subiectos tenet: „ Ergo sumere nummos  
 Vel dare iudæis propter maiora periti  
 Lucra, magis studeant ad sacrum ducere fontem  
 Naviter instructos vera in pietate Fideque.  
 Quam bene viginti saltem capitalis haberet  
 Vilna Patres Parochos per Religiosa decros

Vota, statim quales Romano more secundam  
 Instruerent in viginti satis ædibus amplis,  
 Sive sacris templis, animabus sanguine Christi  
 Distribuendo dapes & Sacramenta redemptis.  
 Ecclesiæ pars Isacidum vicinior altæ  
 Dominicanorum (quorum solerter in ista  
 Cum pietate Fidem capitali promovet ordo)  
 Audiret Parochum per sabbata cuncta docentem,  
 Atque lavarentur dociles baptisate Sacro,  
 Sic similis Sanctæ Romæ feliciter esset  
 Condita iam pridem Litvanis omine fausto  
 Vilna, nitens prima modo magni Sede Ducatus.

At rursus Sanctam Romam vel mente petamus,  
 Numinis Ecclesiæ decoratæ nomine Trini  
 Hospitium junctum peregrinis exhibet ultro  
 Omnia amore Dei, sine spe lucri, omnia gratis,  
 Mollia strata die quavis, potumque, cibumque,  
 Hospitium cameras longas habet istud et altas  
 Et multas mensas, & lectos pluribus aptos  
 Molliter instratos; igitur venientis egeni  
 Qualicunque die pedibus sub vespere lotis  
 Dulce datur vinum, sapidæ cum piscibus herbas  
 Triticeique datur bene tosti copia panis  
 Et lactuca madens in fuso pingvis olivæ  
 Succo, cum nucibus potum, nec amygdala desunt  
 Denique præcellens adfertur in orbe polito  
 Caseus, his pauper consveto more refectus  
 Ante Creatori justas persolvere grates  
 Exequitur, post in monstrato carpere somnum  
 Lætus abit lecto, plures ut luce sequenti  
 Ecclesias Numen laudando visere possit.



Gloria, laus et honor **MARIÆ** cantando diebus

Hebdomadis certis Litanias fertur in astra,  
 Innumeros ad quas concentu musica svavi  
 Attrahit, at variis templis redditur almæ  
 Quotidianus honos Litanis, namque meretur  
 Mater ab humanis hæc admirabilis, imo  
 Angelicis tanquam Virgo castissima semper  
 Mentibus extolli, pariter cum janua cæli  
 Dicatur, precibus quis non venerabitur Ipsam?

Exstat agonali circo vicina proborum  
 Fratrum ædes talis, cujus campana diebus  
 Omnibus occasum solaris luminis hora  
 Præveniente una clangens hortatur ad acres  
 Multiplicesque preces ob agonizantibus agris  
 Auxilium dandum, ne claudant lumina morte  
 Actibus absque piis firmæ Fideique, speique,  
 Queis amor in Numen deberet fervidus addi,  
 Et de peccatis dolor, ut virtutibus istis  
 Ornatae possent animæ cælestia regna,  
 Latitiæ sedem rutilam constantis, adire.  
 Verum quis poterit distincte singula dictis  
 Enucleare docens, quis commemorare tot altas  
 Totque renidentes orichalcis æreque passim  
 Ecclesias penitus cum sanctæ moribus urbis?  
 In templo vel in hoc vel in illo nonne diebus  
 Fit sacra portando **JESUM** processio festis?  
 Intueamur adhuc, quid agatur totius anni  
 Mensibus in variis templis, ut sæcula multa  
 Posteritatis ament similes inducere mores  
 Omnibus in villis, ut sit **MEMORABILIS ANNUS**  
 Virginis a partu modo **NONAGESIMUS ALTER**  
 Post bis quingentos annos & sæcula septem

Decurrens, a quo ad seros DOCTRINA nepotes  
 Per mille & plures illustrans defluat annos,  
 Si tamen orbis adhuc per septem sæcula stabit,  
 Forsan enim adventat jam formidabile tempus,  
 Quo vitii turpem stolidis ausuque scatentem  
 Constituit Pater omnipotens exurere terram,  
 Fors ventura brevi propter delicta nefanda  
 Progenies subito perimetur vindice flamma,  
 Forsitan & nostris obscæna protervia stulte  
 Temporibus repens, laxansque repagula cunctis  
 Criminibus sævas mox eluet impia pœnas,  
 Forsitan impuris impendens ignibus ignis  
 Jam jam tellurem vastabit turbidus omnem!  
 Heus mortale genus properato flectere justam,  
 Dum tempus superest, orando Numinis iram,  
 Fac juxta exemplar, tibi quod demonstro repente,  
 Inspice præsentem, nam nonagesimus ANNUS  
 Atque SECUNDUS adest, & Romæ quod fit in isto,  
 Hocce secundum illum nunquam non fiat ubique.

Janua dat nomen primo memorabilis anni  
 Mensi, quo resonat sacra Missio menstrua Romæ  
 In templo Sancti Ludovici Regis opimæ  
 Et plenæ populo terræ, cui Francia nomen,  
 Hanc penes Ecclesiam non pauci altaris aluntur  
 Conveniente modo ( soboles reverenda ) ministri,  
 Hospitium junctum peregrinos suscipit omnes  
 Francigenas, studio infirmos majore fovendo.

Prima dies anni ( qua Circumcisio dictum  
 In variis festum fit templis ) detegit ædes  
 Augustas, ad quas veniunt a cardine dicti  
 Purpurei Patres cum summo Principe Papa,  
 Sacrificante e Cardineis Missamque canente

Presbitero Patribus, quidam mysteria Christi  
 Presbyter explanat per religiosa decoris  
 Vota, sed ordo cruces sub Fundatore Camillo  
 Assutas gestans in nigra veste rubentes  
 Invocat æternum Numen studiosus in ipso  
 Anni principio populo exorare favores  
 Cælestes, hinc Ecclesiam sub nomine Divæ  
 Magdalenzæ implet modulando musica dulcis  
 „ Spiritus alme veni, mentes invise tuorum  
 „ Quaque creavisti tu pectora, Gratia ditet. „  
 Anni luce novi prima sub nomine JESU  
 Fratres accumulunt mendicam dote puellam,  
 Quæ cupit in claustro cum virginitate manere.

Est templum vicina premens Capitolia multis  
 Nobile Presbyteris per religiosa decoris  
 Juramenta, simul famosis nomine claro  
 Cum simili Parocho Divinæ Matris, in isto  
 Vespere Christiadis tribuuntur sorte Patroni.  
 In vita quorum cultus tutelaque semper  
 Tum magis incerto morituris tempore prodest  
 Sic novus in Sancta ROMA pietatis abundans  
 Actibus & donis feliciter incipit annus.

Quinta dies anni facta jam vespere  
 Læte Cardineos augustam ducit in ædem  
 Ad decantandos in honorem Numinis hymnos.

Sexta dies anni recolit mysteria trina,  
 Conveniunt rursus summo cum Principe Papa  
 Purpurei Patres, quos inter Episcopus unus  
 Sacrificat cantans, ex prisco Presbyter autem  
 Ordine Servorum MARIÆ non pauca perorat  
 De Domino JESU, quem natum fulgida stella

Régibus ostendit tribus, at quia tingere Christum  
 Debuerat Jordanis aquis Baptista Joannes,  
 Hinc in præclara ( cui dant sacra Stigmata nomen )  
 Ecclesia ritu benedicitur unda Latino  
 Distribuenda piis ægris, dum labitur annus.

In templo MARIÆ, quod cæli dicitur ara,  
 Effigies pueri portatur vespere Christi,  
 Agmine tum mochachis pia sit processio longo,  
 His monachis habitu griseo FRANCISCUS amictis  
 Funeque præinctis Pater est, hic Fratribus ultra  
 Centum stipatus generalis degere passim  
 Præpositus solet, hic etiam Capitolia restant.

Nona dies Celsum & Julianum laudat utrumque  
 Martyrio claros Sanctos, sub nomine quorum  
 Angelici perstans Ecclesia proxima ponti  
 Custodis nutrit Parochum sociosque laboris.

Ædibus in Sanctæ positis Agnetis honorem  
 Circus agonalis decoratur, in ædibus istis  
 Luce secunda post decimam devotio mane  
 Perque novem peragenda dies a plebe paratur  
 Agnetis cupiente pie prævertere festum.

Post decimam quinta Festum sub nomine JESU,  
 Dominicaque die celebratur, in æde MARIÆ  
 Virginis & Matris de planctu, prædita nota  
 Dotatur pauper large pietate puella

Lux eadem recolit Paulum, sub nomine Sancti  
 Huius Eremitæ primi sacra tecta propinquis  
 Ecclesiæ MARIÆ maioris manibus adstant  
 Custodita quidem monachis albedine tectis,  
 Candida nam vestis Paulinos, alba cuculla,  
 Et scapulare nives æquans, & candida barba  
 Exornat Patres seniores, herbida quales

Terra Polonorum clara sustentat in arce,  
 Inque loco claro miraculis Virgine sancta  
 Matre Dei populo virtutes dante fideli,  
 Clementerque pios ægros sanante MARIA.

Post anni decimam lux Divo sexta dicatur  
 Marcello, qui post Christum trigesimus unus  
 Pastor erat Domini JESU supremus ovilis,  
 Sancti Marcelli Papæ custodia templi  
 Pertinet ad Patres Servitas, quippe vocantur  
 Servitæ, quoniam nomen trahit ordo MARIÆ  
 Servorum a Patribus septem, Florentia tantos  
 Nobilitate pares dedit, hi servire MARIÆ  
 Maiori studio statuentes, omnibus huius  
 Mundi neglectis nugis impensius acres  
 Virginis & Matris septem-recolendo dolores  
 Cæperunt solidam monachorum ducere vitam;  
 Additus insignis posthac pietate PHILIPPUS  
 BENITUS colitur tanquam Pater ordinis aucti  
 Præcipuus, degit Præses generalis ad ædes  
 Sancti Marcelli Parocho nunc Patre decoras,  
 Eximie Parochus vestitur sicut & omnes  
 Servitæ, nam propter eos formatur amictus  
 Dominicanorum similis, nigredine dispar,  
 Servitis tunicæ longæ, scapulare, cucullus,  
 Cingula de corio, Servitis omnia fusca.

Septima post decimam dum lux emittitur anni  
 Clarus in Ægypto factis Antonius Abbas  
 Sanctus honoratur, re qui tulit oreque leges  
 Primus Eremitis, agitur ceremonia rara  
 In templo tanti signato nomine Patris.

Post decimam lux exoriens octava supremi  
 Pastoris recollit Petri memorabile factum,  
 Quo Cathedram ROMÆ primam sedemque locavit

A cunctis semper supremam iure colendam,  
 Purpurei Patres cum summo Principe Papa  
 Ad templum veniunt Divi mirabile Petri  
 In Vaticano famoso monte locatum,  
 Sæpius hic crucibus formatis Papa salutatur,  
 Dicitur & sermo consveto more Latinus,  
 Sermo sacer resonans iater solemnia Misseæ,  
 Sacrificans e Cardineis quam Presbyter unus  
 Decantat Patribus fultus modulamine pulchro  
 Dulcisoni cætus, qui fundit gutture syaves  
 Cantus absque sono fidium citharæque bicornis.

Quando dies ortus rutilat vicesimus anni,  
 Post Sanctum Petrum Pastor vicesimus orbis  
 Supremus colitur Sanctus Fabianus, eadem  
 Luce recurrit honos famosi stemmate claro  
 Martyrioque Ducis confixi membra sagittis,  
 Sub cuius celebri ad catacumbas nomine templum  
 Cum sociis Parochus monachus custodit, & inter  
 Ecclesias septem visendas ponitur Urbis.

Martyris Agnetis festum vigesima Prima  
 Lux celebrat, cuius castissima membra quiescunt  
 Sub tectis extra portam (hæc Pia porta vocatur,)  
 Ecclesiam servant istam per vota decori  
 Religiosa Pater Parochus sociique laboris,  
 Sancta mori citius, quam virginitate privari  
 Maluit, O! AGNES! o! mira puellula talis!

Quando dies anni lucet vigesimus alter,  
 Sanctus Anastasius Martyr, Vincentius una  
 Martyrio clarus colitur, sub nomine quorum  
 Tempa duo fundata tenent Parochosque disertos  
 Presbyterosque pie devinctos triplice voto.

Est Magno templo Sanctæ vicina MARIÆ

Trans Tyberim decorata modis Ecclesia pulchris  
 Carmelitarum, nova quos discalceat apte  
 Regula per totum diffusa fidelius orbem  
 Restaurata quidem tum per miracula multa  
 Tum per virtutes, quibus ah! TERESIA Sancta  
 Enituit vigili pietate simillima Matri  
 Numinis ipsius, libros doctissima Virgo  
 Insuper egregios scripsit, quos sæpe legentes  
 Utilitate frui probat experientia certa,  
 Esse suam Matrem Carmelitanus & illam  
 Ordo suam miram non abnegat esse Magistram;  
 Illam, qua centum populos & permeat oras  
 Danubius, qua volvit aquas cum Tigride vastus  
 Euphrates, curritqua Ganges indicus, illam  
 Nuper in inventis Americæ fertilis arvis  
 Carmelita suam magnam miramque Magistram  
 Esse fatetur, eam Matrem veneratur ubique,  
 Mons quoque Carmeli sedes charissima quondam  
 Eliæ vatis resonat nunc virginis huius  
 Laudibus in sacris monachorum triplice voto  
 Aedibus obstrictorum, hos & scapulæ cucullus  
 Et tunicæ longæ velant, & in aedibus horum  
 Romæ, quando dies transit vigesima quarta,  
 Incipit occasum solaris luminis hora  
 Præveniente, novem placide peragenda diebus  
 In Sanctæ Mariæ devotio Matris honorem  
 Expectando diem, quem Purificatio signat.  
 Quando dies anni vigesima quinta recurrit,  
 Commemoratur ibi Sancti conversio PAULI,  
 Paulus Apostolicis manibus fit Episcopus ingens  
 Consecratus, habensque sibi divinitus amplam  
 Ille potestatem datam & his aliisque fidelis  
 Utiliter denis usus satagebat inertes

Lucrari Christo gentes nec commoda carnis,  
 Nec sibi quaerendo vestes aurive metallum.  
 Constantinopolis Patriarcham habuisse sequacem  
 Præcipuum Pauli gaudet celebratque JOANNEM,  
 Aurea possedit Præsul Chrysostomus ora,  
 Nunc eius sacra membra tenet mirabile templum  
 In Vaticano famoso monte locatum,  
 Lux oriens tantum recolit vigesima Sanctum  
 Septima promeritum tumulari propter honorem,  
 Quo coluit vivus Primum sedemque verendam,  
 Ædibus in magnis decoratis sede suprema.

Illucere dies vigesima nona videtur

Blandius, insolita Te, te, svavissime Princeps,  
 Lætitia celebrans, Te Pastor Episcope Sancte,  
 Te memorans Præsul Genevensis, Regula cujus  
 Svaviter inducit moniales quaerere portam  
 Angustam, cujus persuadent mellea scripta  
 Magnanimis calcare viam progressibus arctam  
 Difficilemque viam, quæ solum ducit ad astra.  
 Ante tuum festum devotio sacra dierum  
 In templo durare novem Francisce solebat,  
 In variis hodie venerantes laudibus ornant  
 SALESIIUM templis, imprimis omne perito  
 Obsequium Fundatori conantibus, omnes  
 Divo Francisco monachabus solvere grates.

In templo Regis Ludovici sorte Patroni  
 Descripti dantur Sancti pro mense futuro,  
 Dum vivo mentes pascuntur corpore Christi;  
 Nam generalis adest hodie communio sacra.

MARTINAM Sanctam recolit trigesima mensis  
 Inposito templo sub nomine martyris hujus,

Quæ



Quæ properam voluit constans occumbere mortem  
 Ne fidei dono, ne virginitate careret.

Lux Sanctum Gallum celebrat trigesimā prima  
**PETRUM NOLASCUM**, qui detestatus atroces  
 Liligeri cives regni impietate furentes  
 In terra Hispana cætum fundaverat aptum  
 Ad cito captivos redimendos sponte ligatum  
 Votis servandis ad acerbam funeris horam,  
 Ex tribus Ecclesiis, quæ Patribus ordinis hujus  
 Cum cameris multis donatæ, Presbyter unam  
 Custodit Parochus monachus sociique laboris.  
 Tres Romæ Petri Nolasci possidet ordo  
 Ecclesias cum cænobiis tribus, attamen una  
 Annumeratur iis nunc octoginta duabus,  
 Quæ sunt commissæ zelosis atque disertis  
 Presbyteris Parochis per religiosa decoris  
 Vota, licet varii contactis veste coloris.

## LIBER III. inceptus

*Anno 1792.*

**N**unc alter mensis Februarius imbrifer instat,  
 Missio quo Romæ sacra continuatur in unctā  
 Ecclesia *MARIÆ*, quæ est consolatio vera, (1)  
 Sicut in Ecclesia decorata corpore Sancti  
 Quotidie *NERII*, sic quavis concio luce  
 Dicitur in templo Mariæ solantis amanter.  
 Prima dies infert animis ieiunia chara

F

(1) Mense Februario Romæ anno 1792. Missio mensura in templo D. Mariæ Consolationis vocata.

Martyrium celebrans, subiit quod Episcopus Heros  
Artubus Italicam decorans *IGNATIUS* urbem.

A Sanctis clarum sacra tecta trahentia nomen  
*Bis senis*, quibus imposuit prænobile Christus  
Munus Apostolicum, celebrant hac luce Beatum  
Andream Conti cedentibus ante diebus  
Rite novem cultum; tanti custodia templi  
Sponte Minoritis data, quorum Presbyter unus  
Fert onus hic Parochi jurati, quatuor isti  
Templa Minoritæ totidem conventibus amplis  
Juncta tenent agiles Romæ, donata sed ipsis  
Quinta domus servit, quam possedere Magistri,  
Erexit quorum cætum sub nomine JESU.  
Tertius antistes Paulus, Loiolaque Sanctus,  
Hi socii JESU gnavi mitesque magistri  
Ante annos solum bis denos tecta propinqua  
Intrabant Sancti Petri mirabile templum  
In Vaticano famoso monte locatum,  
Solvebant ubi quosque reos delicta fatentes,  
Hocce Minoritæ faciunt modo, qui quoque celsa  
Post socios JESU Laureti mænia servant,  
Imminet Adriacis portus celeberrimus undis  
Centum Ancon stadiis distans a vertice montis,  
Sub Cælestino quem texit Præsule Quinto  
Alma Domus mirabiliter translata per æquor  
Ex Asia, Domus illa, Domus venerabilis, in qua  
Ipse Deus VERBUM CARO FACTUM EST, atque MARIÆ  
Filius est factus, qui semper Filius extat  
Numinis Ipsius, Lumen de Lumine, natus  
Ex Patre non impar ante omnia sæcula, nec non  
Facta MARIA Dei Mater purissima semper  
Permansit Virgo, MARIÆ faciente potenter

Magna Deo, solus qui iure *Potensque Bonusque*  
 Dicitur, ista domus supra fastigia montis  
 Laureti pendens muro circumdatur alto  
 Ecclesiæ vastæ, subeunt quam millia multa  
 Terrigenum ex variis regionibus ardua sponte  
 Longarum magno superando labore viarum,  
 Huc sua dona ferunt, peccataque rite fatentur  
 Cuncta Minoritis, quibus a Pastore supremo  
 Scilicet a Papa Romano Principe summo  
 Ampla datur Paduæ, Lauretique ampla potestas  
 Solvendi gratis a culpis omnibus omnes.

Altera lux mensis, quam Purificatio signat,  
 Purpureos Patres augusta congregat æde,  
 Summus ubi Princeps moribundis lumina chara  
 Candelasque facesque sacro benedicit honestus  
 Ritu, distribuitque PIUS præsentibus illas,  
 Nomine, reque PIUS SEXTUS, qui Papa, Paterque  
 Maximus, in toto summusque Vicarius Orbe  
 Ipsius Domini JESU labente gubernat  
 Anno perfusos sacra Baptismatis unda  
 Sollicite Pastor Supremus ovilis JESU.  
 Cardineus (postquam processio sacra peracta est;)   
 Sacrificans Missam decantat Presbyter, aula  
 Regali voces hominum reddente canoras.

Dant hodie nummos Teatini largius illis  
 Virginibus, quæ se cupiunt addicere claustris  
 Suppliciter scripto porrecto pauca rogantes.

Dat manica larga nigri distincta coloris  
 Progenies Augustini, sed talibus aurum  
 Dant, quæ sunt inopes, ut virginitate puellæ  
 Gaudentes possint monachæ velocius esse.

Lux recolit Sanctum ROMUALDUM septima mensis,

Cui comes et proprium campum donavit & arcem  
 Maldulius, similem Romualdo ducere vitam  
 Exemplo motus statuens monachumque secutus,  
 Quatuor Ecclesias Romualdi possidet ordo  
 Cum cameris Romæ multis ieiunia servans  
 Justitiæque Studens per strictâ silentia, nugis  
 Clausa tenens, sed aperta Dei pro laudibus ora.

Octava mensis celebratur luce Joannes  
 De Matha Sanctus Fundator in ordine primus  
 Ordinis erecti Triadis sub nomine Sanctæ;  
 En primam Missam isto sacrificante Joanne  
 Lutetiæ primum comparuit Angelus albis  
 Vestibus indutus cum assuta in pectore tecto  
 Mirifica cruce cærulei rubeique coloris,  
 En etiam posthac inter solemnâ Missæ,  
 In Lateranensi templo comparuit æque  
 Angelus indutus, Romæ dum Papa canebat  
 Sacrificans Missam Sanctam præsentè JOANNE  
 Et præsentè eius fidè FELICE Sodali  
 VALESIO Sancto, multis est visus in ara  
 Angelus eximius, quem pulchre candida vestis  
 Velabat, bicolor quoque Crux in pectore fulgens;  
 Nonne decet Reges iustos assumere vestem  
 Anglicam, simul Angelicos acquirere mores?  
 Quales Valesii regali stirpe creati,  
 Et fuerant quales virtute Joannis honora  
 Ornati, quales, etiam per sæcula servant.  
 Bis tria Presbyteri per religiosa decori  
 Juramenta, sui sapientibus ordinis usque  
 Legibus addicti redimendò carcere clausos  
 Illorum causa reddentes millia multa  
 Æris collecti plures probitate tenaci

Colloquisque piis e servitioque iugoque  
 Dæmonis eripiendo, perpetuamque docendo,  
 Quæ datur in cælis, exquirere Libertatem;  
 Quatuor in Sancta vario sub nomine Roma  
 Ecclesiæ dantur, quarum custodia constans  
 Pertinet ad monachos indutos vestibus albis  
 Gestantesque crucem bicolorem in pectore Patres,  
 Qui proceres ducunt augustum nomen ab uno  
 Natura Deo & in Personis Numine Trino.

Insuper ipse PIUS SEXTUS supremus civilis  
 Pastor, dum annus transit *nonagesimus alter*  
 Coram Presbytero monacho peccata fatetur,  
 Ut Sacramenti magis illum gratia ditet,  
 Nam monachus vestes albas albumque cucullum  
 Et scapulare gerens fulgente in pectore belle  
 Assuta Cruce carulei rubeique coloris  
 Ipsius Papæ Confessor in ordine vivit,  
 Cui Deus immense Trinus dat nobile nomen;  
 O! utinam saltem pars quinquagesima gentis  
 Humanæ castam peragendo more Joannis  
 Vitam luceret, non ambitione præesse  
 Sed prodesse volens, aliisque subesse parata!  
 Nec tot mortales premerentur carcere tetto  
 Et libertatem retinerent sidera cæli  
 Angelica plures contacti veste petendo.

Sancta die decima germana SCHOLASTICA Magni  
 Laudatur Sancti BENEDICTI, Regula cujus  
 Personas utriusque docens assuescere sexus  
 Moribus ingenuis in paupertate subesse  
 Promptas, erexit collegia claustraque multa,  
 Quæ partim castam moniales ducere vitam,  
 Obstrictæ, partim per religiosa decori

Vota tenent monachi BERNARDUM aliosque colentes  
 Sanctos, qui melius magni vestigia Patris  
 Scilicet egregii Benedicti sponte secuti  
 Attraxere novos monachos, ut condita templa  
 Custodes vigiles veræ pietatis haberent;  
 Quatuor in Sancta Roma monialibus adsunt  
 Ecclesiæ, monachis etiam venerantibus istum  
 Ordinis Autorem Benedicti nomine clarum  
 Templa dedit duodena manus studiosa piorum  
 Cum cameris multis agros vinetaque large  
 Donando, ut plures Primaria in urbe manerent  
 Presbyteri primum Patriarcham sponte sequentes,  
 Nam BENEDICTUS avens monachos fundare perennes  
 Primus in Italia lucem cumulatus auxit  
 Sancti Evangelii, demonstravitque Latinis  
 Maxime iter tutum ad summi Palatia cæli,  
 Non minus ac Græcis BASILII Regula magni.

Quando diem decimum quintum Februarius affert  
 Cur e Cardineis solennem Presbyter unus  
 Patribus augusta Missam decantat in æde?  
 Cur agitur Divina PIO Res Principe Summo  
 Purpureoque simul Papæ præsentè Senatu?  
 Percipiant omnes, quia septuagesimus annus  
 Et quintus summum declarans Urbis & Orbis  
 Pastorem decima quinta de mense secundo  
 Svave PII SEXTI nomen produxit, & illum  
 In solio posuit primo, quem sacra Cesenæ  
 Flumina Baptisti tinxere faventibus astris,  
 Dulcia felicem cingunt vineta Cesenam,  
 Ista Cesena tamen multo felicior inde  
 Quod sapiens in ea Braschi sit natus, ovile  
 Grande regens modo rite PII sub nomine SEXTI,

Angelus est dictus, quando Baptismatis unda  
 Perfundebatur, sed per suffragia Romæ  
 Cardinei cætus electus maximus orbis  
 Rector, successorque Petri decrevit honorus  
 Prædecessoris Sancti ( conatibus aptis  
 Famosi contra Turcas ) assumere nomen,  
 Nunc ideo SEXTUS PIUS appellatur & amplum  
 Propitius Christi prudenter ovile gubernat  
 Tanquam Papa sacer numerando a Principe PETRO  
 Bis centenus quinquagesimus ( innuo ) quartus,  
 Innuo, confiteorque PIUM SEXTUM esse profecto  
 Pontificem summum, summumque VICARIUM in orbe  
 Ipsius Domini JESU; jam credite gentes,  
 Quod Pastor summus ROMANUS EPISCOPUS adsit.



V E R S U S S E Q U E N T E S

In Ecclesia Vaticana  
Ssmo PIO SEXTO Pontifici Maximo

Anno 1789. oblata.

Te renuit quisnam venerari, Maxime Princeps?  
Summo Pastori quemve subesse pudet?  
Nulla PIUM SEXTUM, nisi per pia cura fatigat,  
Nil PIUS & factis, ni pia facta docet.  
Quisque PIUM offendens, quod fiat Numen in Ipsum  
Impius horrende; nonne cuique patet?

AD MAJOREM DEI GLORIAM.




**ERATA****CORRIGE**

- Pagina 8 versu II Prostatus *lege* Prostratus  
Pagina 9 ver: 17 principiio *lege* principio  
Pag: 15 ver: 32 æde *lege* ædes  
Pag: 23 ver: 27 Viv *lege* Vix  
Pag: 25 ver 10 Post vocem *miracula* deleatur comma  
- ver: 16 Et numero *lege* E num  
Pag: 28 ver: 26 adstit *lege* adsit  
Pag: 45 ver: 31 In fine versus deleatur comma  
Pag: 46 ver: 28 Baptisti *lege* Baptismi

EXHIBIT

Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and bleed-through.



K. J.

8335

LMA VRUBLEVSKIŲ BIBLIOTEKA



00200755040 0 1

LMA VRUBLEVSKIŲ BIBLIOTEKA



00200755041 0 2

LIETUVOS MOKSLŲ AKADEMIJOS  
VRUBLEVSKIŲ BIBLIOTEKA

K. J.

5305 / *Teatras*  
2 kn.